

42

ditissimus Præsul, observavit Domitiani nomen, quamvis *equo singulari interfuerit* triumpho Titi, ut author est Zonaras lib. XI. Annalium, inscriptum tamen non fuisse arcu Titi adhuc existanti; inde negat hinc nequaquam aditru, Getam lectum fuisse in arcu Septimii, quum Domitianus pariter absit ab arcu Titi. Verum, præterquam quod arcus Titi non ob triumphum Judaicum erectus fuit: posuit enim illum Senatus, Populusque Romanus Tito jam vitâ functo, quod & ex Apotheosi ejusdem in summo arcus tholo expressâ, & ex Inscriptione, quâ Divus appellatur, palam fit, ut optimi Principis memoriam grati animi monumento prosequeretur, fat erit, ut doctissimi Viri argumentationem infirmemus, ultro profiteri, nos in arcu Septimii Inscriptione nomen Getæ reponere, non quod piaculum putemus abesse Getam ab Inscriptione, quæ patrem, ac fratrem laudat (abest enim ab aliâ æque celebri, quæ in fronte porticus Panthei conspicitur, nec illam quicquam sollicitat) sed quia, quum sit alicujus ibi nomen reponendum, quod eorum fuisse liquido constat, nemo certe potiori jure locum in eâ sibi vindicat, quam Geta. Non ignoro Plautianum Severo jam tum carissimum, magnoque ob id apud omnes in honore fuisse; tamen neque gratiâ apud Severum, neque dignitate apud Romanos Getam adeo superasse evincitur, ut Getâ neglecto in eximio illo Romanæ magnificentiæ monumento inscribi ipse debuerit; præsertim quum, quando is arcus erectus fuit nondum Plautianus affinitatis vinculo Severo junctus erat, si Herodiano credimus, qui inter Severi triumphum, & Antonini nuptias aliquantisper intercessisse ostendit, narrans post Severi triumphum fraternas cepisse Antonini, & Getæ discordias, eosque Severum reducere in gratiam, & emendare conatum fuisse. Tum (subdit Herodianus) *Bassiano, qui honores Imperatorios adeptus (*) Aurelius Antoninus accepto Marci prænomine vocabatur, ac major natu erat, uxorem dedit filiam Plautiani Præfecti cohortibus urbanis.* Et si Antoninus eodem anno CCIII. Plautillam duxerit, ut Viri docti observant.

In supplemâ pariter Inscriptione, quæ existat in Grut. p. XXXIX. 3., & ex quâ Plautiani salutem pari precio habitam fuisse, ac ipsorum Augustorum aditru, nimium conjecturæ suæ indulgisse doctissimum Præfulem dolemus; ea sic habet:

DIA-

(*) Ita profecto restituendus hic locus; quem corrupte vertit Politianus; qui honores Imperatorios adeptus Severus Antoninus, accepto Marci cognomine vocabatur. Severi tamen regnum Antonino tribuunt plura Græca numismata, quæ vide in Goltz. Thesaur.